

SCRIPTA

Numéro Scripta : 283

Auteur(s) : Henri Ier Beauclerc, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Saint-Pierre-sur-Dives, Notre-Dame (abbaye, abbé)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : non suspect

Datation : ...1108...

Action juridique : confirmation générale

Langue du texte : latin

Analyse

Charte de confirmation et de donation d'Henri Ier Beauclerc en faveur de l'abbaye de Notre-Dame de Saint-Pierre-sur-Dives.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instr. Eccl. Sag., n° V, col.156-157.
- b. Sauvage René-Norbert, *Les diplômes d'Henri Ier, roi d'Angleterre et duc de Normandie pour l'abbaye de Saint-Pierre-sur-Dives*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Mélanges de la Société de l'histoire de Normandie ; 12e série, p. 113-139), 1933

Texte établi d'après a

Henricus, gratia Dei rex Anglorum, et dux Normannorum, omnibus suis fidelibus salutem. Sciatis quod abbatia beatæ Mariæ de sancto Petro supra Divam cum omnibus pertinentiis suis in manu mea et protectione mea est liberrima ab omnium subiectione sicut proprium dominium meum, et ideo concedo eidem abbatia, et in perpetuum libere et pacifice possidendum confirmo, quidquid Lescelina comitissa, uxor Willelmi comitis, fratris secundi Richardi Normannorum ducis et antecessoris mei, ad ædificandam eandem abbatiam disposerunt et donaverunt : videlicet burgum et villam quæ dicitur ad sanctum Petrum supra Divam, cum omnibus appenditiis et redditibus suis, totumque centenarium quod eidem villæ adjacet, et quidquid infra ipsum centenarium continetur, scilicet a Diva fluvio usque ad alium fluvium, qui Vicia dicitur, in ecclesiis, in decimis, in bosco et plano, in molendinis et pratis, in hominibus, redditibus et servitiis eorum, et in aliis quibuslibet rebus extra centenarium. Confirmo eidem abbatia quidquid prædicta Lescelina comitissa habuit apud sanctum Albinum super Alegot, scilicet ecclesiam et decimas ipsius villæ, molendinum, dominium, homines, servitia et auxilia eorum, et quidquid habuit apud Tenvillam, et ecclesias S. Mariæ et sancti Martini de Donvilla, cum omnibus decimis ejusdem villæ, et terras, et dominium, et homines quas habuit eadem comitissa in illa villa, cum omnibus servitiis et auxiliis eorum, et ecclesias de Novio et de Fresneio, cum omnibus decimis earundem parochiarum, et dominium et homines comitissæ, et sexaginta acras terræ in territorio Bazelchiarum, cum decimis molendinorum ipsius villæ, et una masura in Ulteriori-portu, et terram de Linceon, et terram et homines quos habuit apud Curulum, cum duobus tractibus in Sequana. Adhuc confirmo omnia alodia quæ Nigellus de Veteri-ponte tenuit de eadem comitissa a Diva fluvio usque ad Viciam, quæ alodia tenuerunt Rogerius de Bretevilla, et Ansfredus cognomento Frestel, et Fulco de Castellione. Confirmo etiam terram quam eadem comitissa apud Urvillum et in Menil Geruceum, et terram quam Richardus de Curceio tenuit de ipsa comitissa in Macel, in Jort, in pontibus, et in Benevilla, et in Caldecotta, et in Amovilla, et in Novilluna, et in Reuilla, et in Cufort, et Fresneio. Confirmo ecclesiam de Felt, cum terris et decimis ad eam pertinentibus,

liberam et absolutam ab omni episcopali consuetudine ; et homines ibidem manentes in tenemento abbatiae non dabunt teloneum neque aliquam costumam ubicumque emerint vel quidquid vendiderint in Oximiis et per totam leugam Oximarum, et domum unam liberam ab omnibus in Oximiis, et terram unius villani apud Corlandum, liberam et quietam ab omnibus servitiis et auxiliis, et capellam S. Nicolai de Silleio, quam dedit pater meus cum terra quae sibi adjacet ad colendum. Omnes istae terrae et possessiones de proprio dominio meo et antecessorum meorum fuerunt et liberae sunt et immunes de gravaria, bernagio, et ab omnibus exactionibus et consuetudinibus secularibus, exceptis expeditionibus meis. Concedo etiam ut omnes possessiones et tenentae sive ecclesiasticae, sive seculares, quas etiam habet eadem abbatia vel futuris temporibus habitura est, in protectione et in manu mea sint liberrime, et ab omnium subjectione immunes : quare volo et firmiter praecipio omnibus baronibus, ballivis et vicecomitibus, et omnibus fidelibus meis, ut faciant abbatiam praedictam tenere bene, pacifice et honorifice, omnes tenuras et homines suos, et non permittant abbatem et monachos de omnibus supra dictis, neque de libertatibus et dignitatibus suis ab aliquo perturbari. Nemo autem justitiariorum cogat abbatem ad placitandum extra curiam suam coram aliquo, nisi coram me vel coram proprio justitiario qui super omnes alios vice mea justitiam tenet. Nullus etiam praesumat abbatiam vel homines abbatiae namnis inquietare, nisi clamore prius facto ad abbatem, et si justitiam et rectitudinem in curia sua facere noluerit, tunc proprius justitiarius meus inde requiratur. Omnia autem placita de omnibus querelis hominum suorum, de incendio scilicet, de muldro, et de rpto, et de omnibus rebus vel forisfacturis quae accidunt et quae accidere possunt, in abbatis curia teneantur et plenarie terminentur, exceptis solummodo placitis de expeditione mea, et bello, si ortum fuerit, de placito monetae, quod quidem in abbatis curia judicabitur, sed apud arcam monetae terminabitur. Si latro intra terram abbatiae captus fuerit, reddetur abbati ; et ubicumque homo abbatiae captus fuerit, reddetur abbati, et abbas inde justitiam et rectitudinem faciet : et si bellum ortum fuerit de qualicumque causa vel querela, in abbatis curia teneatur et integre terminetur. Ubicumque fuerit quercus vel fajus per totum tenementum abbatiae, propria erit abbatis et monachorum ; quidquid autem sive supra terram, sive subtus terram repertum fuerit, quidquid illud sit abbas habebit, excepto auro si subtus terram repertum fuerit, quod quidem meum erit. Abbas quoque et monachi teneant et habeant warennam per totum centenarium et per omnia confinia centenarii. Concedo etiam ipsi abbatiae et propriis servientibus abbatiae, habere libertatem et immunitatem per totam terram meam, in feriis, in nundinis et in portibus maris de teloneo, passagio, pontagio, et de omnibus consuetudinibus et pastionibus propriis porcis abbatiae, in forestis meis, sine pasnagio. Si quis super hoc abbatiam vel homines abbatiae disturbare et vexare praesumpserit, in misericordia mea erit de decem libris ... monetae : omnes ementes ad mercatum et ad nundinas abbatiae, habeant meam firmam pacem in eundo et redeundo : et si aliquis aliquid foris fecerit, abbas justitiam et rectitudinem faciet, et emendatio sua erit : monachi autem ejusdem abbatiae absque ulla contradictione habeant suam liberam electionem. Hoc autem feci pro salute Willelmi regis patris mei, et Mathildis reginae matris meae, et pro salute animae meae, et antecessorum et heredum meorum, et pro salute animae praedicti Willelmi comitis, et Lescelinae comitissae uxoris ejus, omniumque parentum suorum, et pro restauratione et satisfactione dampni, quod monachis intulerit combustio ejusdem abbatiae et totius villae suae per me facta. Teste me ipso apud Argentomum. Signum † Henrici regis Anglorum. Signum † Willelmi Rothomagensis archiepiscopi. Signum † Serlonis Sagiensis episcopi. Signum † Roberti de Curseio. Sign. † Fulconis de Alneio.